

CXXXIII. Qui col. Gen. Iul.<sup>273</sup> h. l. sunt erunt, eorum omnium uxores, *⟨quae in c. G. I. h. l. sunt, eae mulieres⟩<sup>268</sup>* legibus c. G. I.<sup>232</sup> vi[ri]que parento iuraque *⟨ex h. l.⟩*, quaecumque in | hac lege scripta sunt, omnium rerum ex h. l. hab[en]to s. d. m.

CXXXIV. Ne quis Hvir aedil.<sup>223</sup> praefectus c. G.<sup>274</sup>, quicumque erit, post | h. l. ad decuriones c. G. referto nive decuriones consu|lito neve d. d.<sup>246</sup> facito nive d. e. r<sup>247</sup>. in tabulas publicas reſerto neve referri iubeto neve quis decurio, cum e. | r. a.<sup>253</sup>, in decurionibus sententiam dicio neve d. d. | scribito neve in tabulas publicas referto nev[e re]ſerendum curato quo cui pecunia publica a[liutve] | quid honoris habendi causa munerisve d[andi pol]licendi<sup>275</sup> statua danda ponenda detur do[netur], nisi . . . . .

*Tabulae aeneae quattuor\**), rep. anno 1870 vel paulo post prope Ursonem (Osuna) Baeticæ, priores duae inde ab a. 1876 adservantur Matriti in museo pu-blico, in quod etiam reliquæ duæ (quæ ante illas prodierant et quas diu servaverat Malacæ in museo privato marchio Loring) nuper inlatae sunt (II S. 5459 ad ectypa, quæ et ipse vidi, ediderunt Huebner et Mommsen Eph. ep. 2 p. 222 seq., 5 p. 91—96). Pertinent tabulae\*\*) ad legem datum coloniae Iuliae Genetivæ (cf. cap. 63. 103. 126 cet.) Urbanorum (cf. Plin. h. n. 3, 12), deductæ Ursonem iussu C. Caesaris dictatoris (cap. 66. 104. 106) et ex lege Antonia (cap. 104). Scripta lex videtur anno u. c. 710, fortasse post mortem demum dictatoris, vel certe tunc demum supplementa quaedam recepit (Momms. Eph. ep. 2 p. 120, 5 p. 97; Fabricius Herm. 53, 1900 p. 210 seq.). Exemplum autem quod habemus incisum esse non aetate Caesariana sed multo postea scripturae genere comprobatur (specimina nonnulla dedit Huebner ex. scr. ep. n. 805); fortasse incisum est temporibus Flaviorum\*\*\*) cum aliarum quoque civilium Baeticæ leges in aës inciderentur (N. 6088. 6089). Capita quaedam (c. 129—131) postea incisa sunt litteris minoribus in spatio antea vacuo relicto, item postea additi sunt numeri singulis capitibus adscripti.— Antequam incidetur, lex subiit manum interpolatoris qui relegens eam sub finem potissimum turbavit vel oneravit insertis additamentis (cap. 98, not. 144) et repetitionibus inanibus, quas quantum fieri potuit uncis ⟨⟩ inclusimus (cf. not. 190. 203. 218. 225. 252). (Minus recte ut puto festinationi M. Antonii repetitiones has attribuit Fabricius Herm. l. c.) Cf. Mommsen Eph. ep. 2 p. 121, 5 p. 97.

\*) Numerabantur quinque, cum tertia, quae sola integra est, in duas partes diffusa inventa esset.

\*\*) Videntur fuisse universi instrumenti quinta (vel potius quintæ pars posterior), sexta (sextæ pars prior), septima (integra), nona (eius pars prior). Cf. conspectum quem dedit Huebner C. I. L. II p. 855.

\*\*\*) Inaequalitate quadam nequaquam tempora diversa indicari ectypis optimis collatis mihi constituit.

---

273) Coloni Genetivi Iulienses. — 274) Coloniae Genetivæ. — 275) Insere prove